

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Ambicio ab  
cum fonte primo

Grauissimum genus egestatis est  
in diuiciis inopia.

Occurrent acti in exilium et evoluti bonis;  
occurent, quod  
genus egestatis gravissimum est,  
in divitis inopes;  
occurent naufragi similiave naufragis passi,  
quos aut popularis ira aut invidia,  
perniciosum optimis telum,  
inopinantis securosque disiecit procellae  
more quae in ipsa sereni fiducia solet  
emergere, aut fulminis subiti ad cuius ictum  
etiam vicina tremuerunt.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 74.4 (L. Reynolds ed., vol.1, p.225, ll.3-10).

Relinque ambitionem, timida res est, uana,  
uentosa, nullum habet terminum,  
tam sollicita ne quem ante se uideat  
quam ne se laborat inuidia.

Vides autem quam miser sit is cui  
inuidetur et inuidet,

et  
acrior est cupiditas quo illam amplioris rei  
spes euocat.

Seneca LXXXVI. epistola.

Hanc si audire volueris, dicet tibi:  
relinque ista iamdudum ad quae discurritur;  
relinque divitias, aut periculum possidentium  
aut onus; relinque corporis atque animi  
voluptates, molliunt et enervant;  
relinque ambitum, tumida res est, vana,  
uentosa, nullum habet terminum,  
tam sollicita est ne quem ante se videat  
quam ne secum, laborat inuidia  
et quidem duplaci.  
Vides autem quam miser sit si is cui  
inuidetur et inuidet.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 84.11 (L. Reynolds ed., vol.1, p.287, ll.19-26).

Maior erit timor, si plus quo exterreatur aut  
propius aspexerit,  
acrior cupiditas quo illam amplioris rei  
spes evocaverit.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 85.11 (L. Reynolds ed., vol.1, pp.290-1, ll.29, 1-2).